

sumebatur oratio, idque et saepe alias et quodam
 liberiore quam solebat et magis vacuo ab interventori-
 bus die. cum ad me ille venisset, primo ea quae erant
 cotidiana et quasi legitima nobis, de pace et de otio;
 5 quibus actis 'quid ergo' inquit ille 'quoniam ora-²
 torias exercitationes non tu quidem ut spero reliquisti,³
 sed certe philosophiam illis anteposuisti, possumne
 aliquid audire?' 'Tu vero' inquam 'vel audire vel
 dicere; nec enim, id quod recte existimas, oratoria illa
 10 studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam
 flagrantissimum acceperam, nec ea quae nunc tracto
 minuunt, sed augent potius illam facultatem. nam cum
 hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam
 habet orator societatem; subtilitatem enim ab Academia
 15 mutuatur et ei vicissim reddit ubertatem orationis et
 ornamenta dicendi. quam ob rem' inquam 'quoniam
 utriusque studii nostra possessio est, hodie, utro frui
 malis, optio sit tua.' Tum Hirtius 'gratissumum,' in-
 quit, 'et tuorum omnium simile; nihil enim umquam
 20 abnuit meo studio voluntas tua. Sed quoniam rhetorica⁴
 mihi vestra sunt nota teque in iis et audivimus saepe
 et audiemus atque hanc Academicorum contra propo-
 situm disputandi consuetudinem indicant te suscepisse
 Tusculanae disputationes, ponere aliquid, ad quod au-
 25 diam, si tibi non est molestum, volo.' 'An mihi,' in-
 quam, 'potest quicquam esse molestum, quod tibi gra-
 tum futurum sit? sed ita audies, ut Romanum hominem
 ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi ut
 longo intervallo haec studia repetentem.' 'Ita' inquit
 30 'audiam te disputantem, ut ea lego quae scripsisti.
 proinde ordire.' 'Considamus igitur.'